





45.

Q. D. E. V.  
DISSESSATIO MEDICA  
EXHIBENS  
**VALETVDINA:  
RIVM SENVM**  
QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO  
**GVILIELMO HENRICO,**  
DVCE SAXONIAE, JVLACI, CLIVLÆ, MONTIVM,  
ANGARLÆ, WESTPHALIAE, ET RELIQUA,  
*Illustris ac gratiose Facultatis  
Medicæ consensu*  
IN CELEBERRIMA SALANA  
PRAESES  
**CHRISTIAN. FRIDER. Schelhäß,**  
MEDICINAE DOCTOR ET PRACTICVS IENENSIS  
RESPONDENTE  
**IOANNE ANDREA SCHMIDIO,**  
HELMSTADIENSE.  
Publicæ Philiatrorum disquisitioni subjicit;  
*Ad Diem V. Mart. MDCCXVIII.*  
*IN AUDITORIO MEDICO Horis consuetis.*

---

JENÆ, TYPIS MULLERIANIS.

VIRIS

Prænobilissimis, Amplissimis, admodum Reverendo,  
Consultissimo atque Experientissimo

DOMINIS

M. FRIDERICO HENRICO  
IACOBS

Pastori apud Molschlebienses vigilantissimo,  
& Adjuncto meritissimo

IOHANNI GOTTLIEB  
IACOBS

J. U. Licentiato, Præfecto Tonnensi & Consiliarii quod ibidem Adsefiori gravissimo

ET

FRIDERICO GVILIELMO  
IACOBS

Medicinæ Doctori celeberrimo, & Aulæ Saxo-Gothanæ Medico ordinario.

FRATRIBVS GERMANIS  
Consobrinis & affinibus suis  
omni observantiae cultu  
prosequendis

Dissertationem hanc medicam

D. D. D.

PRAESES.



## PRÆFAMEN.



Erißime jam olim Philosophus dixit:  
Totus homo morbus est, nam a nativitate  
usque ad mortem, a capite usque ad  
calcem variis & multis affligitur mor-  
bis, adeo ut nullus adhuc inventus sit,  
qui omnes affectus quibus homo obno-  
xius sit, exponere & peruestigare va-  
luerit, quin nova subinde morborum species vel adeo complicata  
invicem affectus quotidie obseruentur, ut uno nomine exprime-  
re & designare Medici nequeant.

Spectemus corpus uti dividitur in tres ventres, supremum  
scilicet medium & infimum, quilibet habet peculiares morbos,  
& singula viscera suos patiuntur manes.

Si homines pro diversitate Sexus intuemur & hujus ra-  
tione diversi morbi & pathemata consideranda veniunt, que  
pro dispositione temperamentorum & caussarum externalium  
impulsi, iis ingruere solent.

Quando porro divisionem secundum, etates & morbos  
singulis proprios & communes pensitamus, elucet & inde veri-  
tas superius dicti proletarii, nam etates haec habent sua tempora

A

in

in quæ dispesci solent, sunt vero præcipue quatuor, primum enim infantiam & pueritiam, alterum adolescentiam & juventutem, tertium robur seu virilitatem, quartum declinationem seu senectutem complectitur, horum principium & finis ex Physiologicis discitur. Constituimus quartum etatum tempus sub considerationis nostræ incudem vocare, & sub nomine VALETVDINARII SENVM tales affectus recensens quois juxta Hippocratem Senili. etati evenire observamus.

Tu vero Alme DEus Tu gratia nostris conatibus adspira,  
quo cedant ip̄ Tui Nominis gloriam proximique commodum.

## CAP. I.

### Morbos præcipuos sēnum cum ipsorum historia & divisione tradit.

**N**ullus nisi plane hospes in scriptis Hippocr. ignorat quod passim ille artis salutiferæ instaurator de affectibus Senibus familiaribus agat, maxime vero in compendio quasi illos exhibit aphorismo ultimo lib. III, τοῖσι δὲ περιβύτησι δύσπνοιαι, κατάρρει βηχώδεες, σραγγυείαι, δυσθείαι, αέθρων πόνοι, νεφετίδες, ἥλιγγοι, ἀποπλεξίαι, κακχεξίαι, ξυσμοὶ τε σωματοῦ ὅλῳ, ἀγρυπνίαι, κοιλίης καὶ οὐθαλμῶν, καὶ ρινῶν ὑγρότητες, αἴβλυστριαι, γλαυκώσιες, βαρυπνοῖαι. Senibus autem difficultates spirandi, catarrhi tussiculosi, urinarum stitlicidia, difficultates mingendi, articulorum dolores, nephritides, tenebri- cosæ vertigines, apoplexiæ, cachexia, totius corporis stimulantes pruritus, vigilia, alvi, oculorum & narium excrementa, visus hebetudines, glaucedines, auditus graves; qui etiam nobis occasionem suppeditavit specimen hocce Academicum edendi.

Non

Non nos quidem fugit, quod multi autores illos affectus qui huic ætati præ aliis familiares esse solent, ex quibus nominandus in primis est Ranchinus Medicus Parisinus hinc inde in suis practicis libris evolvere suscepit & egregia quæ ad eorum explanationem faciunt adduxerint, ut argumentum hoc admodum tritum videatur & habeatur. Cum vero hac nostra ætate vix reperiatur materia quæ non jam evoluta & quodammodo pertractata sit, ut difficile sit aliquid novi addere: Attamen non incongruum & insolitum est de obviis & tritis sermonem instituere, cum sub eorum etiam tactatione occasionem forsan nanciscimur non adeo trita, sed scopo nostro digna & medico scitu necessaria proferendi, suscepimus igitur divino adjuti auxilio hocce negotium.

Inscribitur vero dissertatio nostra Valetudinarium Senum, denotat hoc vocabulum juxta Galenum lib. 5. cap. 4. de tuenda sanitate statum incertæ fallacisque semper valetudinis & Dietericus nom. 577. Valetudinarium seu ~~vortu~~ illum vocat qui morbis semper vivit obnoxius. Senes vero vocamus qui quinquagesimum annum supergressi sunt, & qui impotentias aliquas & activitatum juvenilium & virilium decrementa in actionibus suis patefaciunt.

Ex quibus abunde dilucescit quod in hocce specimine de iis affectibus qui senes ut plurimum corripere & premerre solent, acturi simus. Sciendum vero non omnes affectus memorandos vel memoratos in Aphorismo Hippoc. semper omnes senes invadere, cum de nonnullis Senibus etiam vere dicatur quod vivant absque senio, i. e. immunes & liberi sint ab omnibus molestiis & affectibus ætati senili propriis & familiaribus. Quemadmodum Conringius de Serenissimo Duce Brunsvicensi Augusto in tractatu de Bibliotheca Augusta quæ est in arce Wolfenbuttelensi hunc in modum loquitur: Inchoatus est

proxime Princeps noster annum octogesimum tertium, senex sine senio, quorum exempla adhuc plura prostant. Sed de iis senibus locuturi sumus qui tenera & debilia imo morbida corpora vel à nativitate vel variis externis de caussis nasci fuere.

Senes utplurimum sunt animo timidi & meticulosi & consuetudine ipsa facile & sponte in morbos incident, & pro mutatione ætatis alio morborum genere & diverso loco afficiuntur. A plerisque si non omnibus Autoribus qui de temperamentis scripserunt assignatur ætati senili temperamentum frigidum siccum. Instar omnium videatur Illustris nostri Wedelii præceptoris nostri ad cineres colendi Physiologia Medica Sect. II. c. 13, de differentia temperamentorum quoad ætates, in hoc enim prius per ætatis mutationem conversum, vel adscititum tale nasci fuerunt facilis n. à pleniori habitu ad strictum fit transitus, vel per labores quibus antea dediti fure & motus quos habuerunt, strictioris & siccioris carnis evadunt, hinc & siccius temperamentum.

Dantur certi morbi quibuscum senes conflictantur qui hæreditate quasi à parentibus in ipsos propagati sunt, & nisi vita genus mutaverint & sui curam habuerint, sed paucus liberalius vel intemperanter vixerint, in eosdem morbos quibus eorum parentes obnoxii fuerunt, incident, ex quorum numero est calculus & podagra.

In singulis vero affectibus cognoscendis & curandis apprime conducit eorum historiam nosse ex qua dein causas, signa & methodum medendi invenire facile licet, quam etiam tradere ea qua fieri potest brevitate conabimur.

Naturæ igitur convenientissima methodus est hosce tractandi, quando morbos à capite ad calcem seu illos affe-

Etus qui in tribus ventribus juxta communem & simplicissimam divisionem sese exerunt & senibus familiares sunt, enarremus, quænam interna eorum constitutio & natura, cuius indolis, & ad quam classem spectent, quanam in parte & loco sedem suam habeant.

Morbus in supremo ventre sese exserens & spiritus animales maxime afficiens est apoplexia primo loco nominanda quo morbo uti & Galenus in commentario supra citati aphor. asserit nullus senili ætati familiarior vel magis proprius est. In viridi magis sanguinea contingit, in media vero & decrepita senectute serosa observatur; in utraque principia vitalia cum animalibus non tam laesionem sed etiam destructionem subire necesse habent nisi quantocuyus occurrit.

Sequitur vertigo quæ talis est affectus quo affecti non tam objecta externa sed quoque corpora ipsorum in circulum agi, existimant, & in quo imaginationis vis depravata & perversa observatur ut falsa pro veris habeant & contra, sed absque delirio, aliter se habet in febribus & mania ubi iridem imaginatio est depravata & spiritus animales diverse agitantur & moventur & ratione caussarum vel gradus variat.

Melancholia ad capitinis morbos refertur & senili ætati non infrequens est, obstinatus est affectus, ut plurimum cum metu & tristitia omnis generis conjunctus, qua affecti vel corrèpti res a ratione longe distinctas, vel cogitant vel loquuntur, vel etiam faciunt, a caussis externis sepissime excitatur, Hippocrates omisit quidem hunc affectum in illa enumeratione morborum senum, sed cum aliis scriptores, dispositio senum & experientia de praesentia hujus affectus in Senibus testentur, senilium morborum classi inservere nulli dubitamus.

Oblivio & memoriae defectus in senibus frequenter occurrit, quando non tantum rerum ante plures annos ge-

A 3 starum,

starum, sed etiam proxime heri vel nudio tertio factarum vel memoratarum vix vel plane non amplius recordantur.

Vigilæ senibus frequentissime obtingunt, ut plurimum vero aliis morbis junctæ sunt, hinc inter symptomata referuntur, ideo pervigiles Senes dicuntur.

Somnolentia nimia quandoque & profunda quid quod veterosa cum aliarum tum vitalium virium insigni torpore non raro senili ætati contingere, annotatum fuit.

Non immunes sunt Senes a talibus affectibus qui in partibus capitis deprehenduntur, uti sunt vitia oculorum, aurium, narum & dentium.

Visus Senum nunc imminuitur, nunc depravatur, nunc aboletur, in hebetudine visionis, si nubecula adest, in suffusione & gutta serena vel catarracta, qui affectus omnes ratione caussarum vel organi ipsius & gradu invicem differunt.

Pari ratione auditus incommoda in Senibus frequenter occurunt, & pro ipsorum constitutione & occasionaliū caussarum accessione vel leviora vel graviora esse solent.

Quod Senum dentes variis modis labem contrahant quotidiana experientia testatur, hinc & senes conqueruntur de eorum vacillatione & casu qua de causa edentuli communiter appellantur, ideo huic ætati necessariæ masticationis decrementum obtingit, ex quo plura alia mala propullant.

Coryza; raucedo catarrhus simplex & suffocativus sunt itidem affectus senibus familiares ex quibus illi non tam graves sed etiam hic utplurimum funestus esse solet.

In ordine jam sequuntur effectus medii ventris quibus Senes non raro tentantur, ex quibus primo se offert dolor seruum seu difficultas respiratio cum suis speciebus quæ non tam sanitati quam etiam vita officiunt.

Tusses

Tusses sat frequenter in senibus excitantur, has saepius excipit, vel cum illis conjungitur asthma praecordiale, & illæ itidem ratione caussarum & morborum prægressorum differentiā sortiuntur.

Cum morbos tertii ventris qui senes saepissime corripere solent, evolvere animus est, occurunt ventriculi, ubi certum est, quod nullis morbis & infirmitatibus magis affligantur quam ventriculi, ille enim non modo sensim in illis debilitatur & robur pristinum amittit, sed multis modis ab assumptis & causis externis laeditur, hinc pleraque alia symptomata quæ experiuntur ex stomachi vitio originem trahunt, adeo ut inter decem vix unum robusto ventriculo præditum reperias, qui non de ejus gravitate, debilitate & concoctionis imminutione medico querelam deferat, & si appetitu licet stimulante paululum plus præter consuetudinem ex cibo vel potu assumerint, de hujus contracta labore conqueri necesse habeat, a qua laxitas alvi seu diarrhoea & lienteria non raro deducenda sunt.

Progressuri ad affectus renum & vesicæ ab illis non immunes esse Senes quotidie reprehendimus, quippe frequentiora horum virtutum quam ulli alicui ætati sunt, maxime si ad eadem in præcedentibus ætatum temporibus dispositionem jam habuerint, vel diætam legitimam non observaverint, & occasionem hæcce excitandi non vitaverint, hinc lumborum dolores, nephritidis & calculi renum ortus & exacerbatio. Pariter virtutia urinæ & pathemata huic visceri propria vel adscripta, qualia sunt stranguria & dysuria series afficere admodum solenne est. Mictus cruentus & ad illum directi conatus proprius feresenibus est affectus.

~~author~~ Per vasa sedalia ordinario fluxus hæmorrhoidum sese manifestat, ubi fluentes per vasa hæmorrhoidalia sanguine in-  
~~ter~~

ter egerendum & paulo post sede exonerantur, cognoscuntur, interdum sunt tumentes tantum qui nunc cum, nunc sine dolore sese exerunt. In virili aetate & viridi senectute magis ex ordine decurrit & bene procedit hic fluxus, contra senilis ad varias ejus perturbationes & imminutiones magis proclivis est.

Sunt & externi affectus senibus familiares qui in partibus extremis corporis humani excitantur & molesti valde observantur, sunt vero illi morbi articulorum & species arthritidis nunc vagae nunc fixae, quales sunt podagra & chiragra & illis subjectis ut plurimum eveniunt, quae haemorrhoidum excretionem jam passa, nunc vero illam suppressam vel impeditam sentiunt.

Tremor manuum & labefactatio genuum imo omnis fere vigoris decrementum, indolens quidem, interim tamen molestum sese exerit in hac aetate. Quorsum etiam pertinet toni ipsarum extremarum partium languor concurrens, tibus internis causis, unde cutis rugosa & totus habitus quasi subsidente languescit, quin etiam color de flore suo plurimum decedit & nunc pallor, nunc squalor in superficie cutis se ostendit, quae affectio vero sequiori sexui ut plurimum accidere experientia testatur.

Nec cacheistica constitutio & oedematosus status a copia & stagnatione excrementiarum humiditaturn in partibus extremis, pedibus &c. se prodens senili aetati infrequens est.

Peculiares cutis deturpationes a scabie humida excrementitia provenientes in senum corporibus quoque animadvertis.

Canities & calvitium sunt affectus senio quam maxime frequentes, illa quidem non dedecus vel incommodum, sed potius dignitatem & reverentiam affert, hoc vero ingratum & ut plurimum occultari solet.

CAP.

## CAP. II.

*Causas præcipuas affectuum recentiorum indagat.*

**C**Vm modo indicaverimus notabiliores & principaliores affectus, qui senum corpora invadere & corripere soleant, necessarium ducimus ratione tractationis jam coepit causas a quibus hi affectus excitantur & generantur investigare, ut hinc eo melius & certius tam prognosis quam curatio ipsa institui possit.

Multæ sane & variæ diligentî horum morborum perscrutatori sele offerunt causæ occasioñales, quibus exacte recensendis si operam navare vellemus citius tempus quam materiam differendi nobis defuturam constat, quare ne brevitas limites, quas servare nobis proposuimus, excedamus præcipuas tantum enunerabimus. Hocce præmonendum putamus quod non omnes æquales affectus enarratos incurant; sed illi qui præcedentibus ætatibus intemperanter vel luxuriose vixerunt, & vires corporis enervarunt, vel qui in juventute & virili ætate laborioso vita generi dediti fuere, provectioni vero ætate quietem & otium exoptantes simul & semel renuntiant laboribus, ignavia, luxui & variis vita deliciis indulgent, vel dispositionem talem a parentibus nacti, justum insuper regimen rerum non naturalium non observant, illi certe talia mala huic ætati solennia sibi accersunt.

Hoc etiam notandum quod hac ætate & ordine naturæ sensim calor naturalis imminuitur, vigoris naturalis & animalis decrementa obseruentur, & inde dependentes actiones

nes

sigla

nes in organis & partibus vitalibus successive & tacite quasi infirmentur & debilitentur.

Temperamentum senum, cum frigidum & siccum a plerisque scriptoribus medicis habeatur, multis morbis ansam præbet, hocce enim catarrhis & defluxionibus variis obnoxium esse perhibet præter experientiam, multorum medicorum assertio, nam phlegmaticus & pituitosus humor in cerebro abundans occasione eliquatur & destillatur in nervos & alias partes; mechanicam catarrhorum eleganter explicat Excell. D. D. VVedelius in exercitationibus suis medico - philologis. Exerc. 3. Dec. III. de morbis senum Salomonæis, in qua & plura egregia ad dilucidationem dicti aphor, Hipp. invenies. Naturali calore itidem imminuto frigidum temperamentum probatur, hinc primi ventris pathemata senibus frequentiora esse diximus, hac quoque ex causa affluxus humorum excrementitorum largior ad caput & omnes ejus partes dirigitur, inde replentur & distenduntur meatus, quid quod de nimis obstruuntur, vel rumpuntur, hinc apoplexia & alii morbi qui præcedente aeris externi alteratione & habitudine subjectorum invitantur & exacerbantur.

Morbus herculeus primi ventris & ætatis senescen-  
tis proprius est apoplexia; virili ætati & viridi senectuti qua  
accidit communiter sanguinea a diffusione sanguinis extra-  
vasati in cerebro, vel ante sensus & motus ablationem se exse-  
rens, adpellatur: pituitosa vero apoplexia decrepita senectuti  
obtingit, quando humores pituitosi & excrementii in cor-  
pore præsto sunt, accidente anni tempore hyemali & ver-  
nali quod defluxionum catarrhalium & pituitosarum præ aliis  
feracior esse soleat, aer frigidior, & vini meracioris intempera-  
tus usus illam sapissime producunt, sunt & multi morbi hunc  
affectum antecedentes, quales sunt vertigo tenebricosa, cephal-  
algia

38 (ii) 38

algia gravis, sensum habetudo & totius corporis segnities  
cum somnolentia.

Dum vertiginis mentionem injecimus & inter causas  
antecedentes apoplexiā retulimus, sine hac tamen illa fami-  
liaris senibus quoque existit & a caussis, nunc externis, nunc in-  
ternis originem ducit.

Internæ sunt humores flatulentī & pituitosi & sup-  
pressiones nonnunquam evacuationum solennium : exter-  
narum magnus numerus ex caussis non naturalibus se of-  
fert, aer frigidus qui caput debilitat & gravat, assumpta flatu-  
lenta vapores in cerebro suscitare, jejunitum diutius protra-  
ctum &c. violentæ sunt percussio capitis gravis, lapsus in caput  
prægressus in antecedentibus atatibus vel temporibus facile  
hocce malum generare solent; ratione igitur caussarum ver-  
tigo alia est idiopathica alia sympathica. Aspectus ex loco  
sublimi, item motus circumgyratorius motum hunc pver-  
sum spiritibus inducunt.

Melancholiā inter affectus seniles numeravimus  
quippe non raro ob curas & sollicitudines animi quas pro  
magnitudine familiae & ipsius sustentatione concipiunt, nec  
non ob languores corporis antecedentes illa sèpius tentantur,  
accedit metus appropinquantis mortis, vel etiam ærumnarum  
futurarum memoria huic malo ansam dant.

Oculorum vitia non minus in senili ætate quotidie oc-  
currunt, quæ itidem ab humoribus pituitosis quibus caput &  
totum corpus refertum est ortum habent; hinc oculorum  
splendor obscuratus cum diminutione & depravatione visio-  
nis ut contingit in habetudine & humiditate oculorum, vel  
extinctione ut in glaucedine & coecitate, & hæcce incommo-  
da vel vitio spirituum animalium, vel humiditate, vel siccitate  
plus justa præsente in senibus oriri solent. Omnia harum

partium morbos eorumque caussas si evolvere animus esset, nimium excresceret labor, sed pro instituti ratione sufficiat generaliora corum attigisse.

De auditus imminutione & difficultate sepius conqueruntur senes, & talia vitia phlegmatici & cachectici habitus facile incurunt, quia scatent corpora eorum multis pertutis humoribus, quibus facile ductus & nervi ad aures ducentes ob tardum eorum motum & tenacem substantiam infaciuntur & obstruuntur & relaxata membrana sonum minus recte percipi potest, & cum pauci ac debiles spiritus a cerebro ad organum hoc mittuntur, ideo actio ejus absque dubio imminuitur.

Narium affectiones quoque non sunt silentio involvendæ propter defluxiones humiditatum in has partes hinc coryza, raucedo & rheumatismi alii ob illarum abundantiam, & dum ob caloris decrementum non satis concoquuntur, colliguntur hic tales humores & decubitus ad hæcce loca diriguntur.

Dentium vitia uti nigredo, corrosio, nec non eorum vacillatio & lapsus senibus imminent, illa enim ab humoribus acribus ibi collectis & assumptis dulcibus & nimis calidis oriuntur, & hæc illis quoque adscribenda.

Affectus mediæ ventris & qui senibus særissime accidit est difficilis respiratio & ut plurimum symptomatica est, quæ aliis morbis connatur solet, v. g. apoplexiæ, anginæ, asthmati, organo læso & materialibus caussis originem debet. Notatur hic morbus in senibus ideo quia uti sepius di-  
ximus superfluitatibus humidis abundant, & cum latera pe-  
ctoris non adeo firma & robusta amplius habent, ideo defi-  
ciunt in excretione talium humorum, quamdiu vero humo-  
res

¶ (ii) ¶

res a capite decidentes præsto sunt, tamdiu durat respiratio  
difficilis & laboriosa.

Ex eodem ferme fundamento tussis & asthmata hu-  
mida in senibus deducenda, videlicet ex affluentia humoris  
excrementi frigidi pulmones obsidentis, qui stagnando a-  
crimoniam parit, partes expectorationi dicatas irritat ac vel-  
licat ad excludendum molestum, ob tonum vero partium in-  
firmitatum, virium imbecillitatem, caloris defectum & mate-  
riæ tenacitatem per multos annos instant.

Sunt & alii hujus ventris morbi senilem ætatem af-  
ficientes quorum Galenus cap. 5. libr. de marcore mentio-  
nem facit, scilicet incurvatio corporis & exsiccatio cordis,  
causam hujus siccitatis esse dicit consumptionem triplicis  
substantiarum, v. g. sanguinis, seri & lymphæ, affectus admodum  
rarus de qua parum vel nihil in neotericorum scriptis extat.

Quod ventriculi nunc imbecillitate nunc gravitate la-  
borent senes frequentissimum est, variis vero de causis ille  
in actionibus suis deficit, vel enim ratione ipsius constitutio-  
nis, quando calor naturalis sensim decrevit, hinc coctionem  
rite & sufficienter non præstat; dum difficulter concoquit &  
digerit assumpta hinc cruditatum proventus, vel ratione assump-  
torum, quando senes tantum quantum juvenes assumunt &  
ingerunt, sed confidere & resolvere ventriculus eorum nequeat,  
motum insuper negligant, & desidem, pro laboriosa, vitam  
amplectuntur, tunc crudi cibi vel in ventriculo relinquuntur vel  
dejiciuntur, exin quoque nausea & vomitus, nisi variis in hanc  
rem convenientibus subsidiis obviari procedatur.

Alvum laxiorem ut plurimum senes habere non so-  
lum aphorismus Hippocratæ, saepius laudatus, sed etiam Galenus  
diversis in locis confirmat: Causa hujus affectus derivatur  
ab excrementi acribus & corruptis humoribus in ventricu-

lo collectis qui a prava vel impedita digestione oriuntur. A debili igitur & infirmo ventriculo in omni subjecto cuiusque ætatis diarrhoeam & lienteriam ortum & incrementum nancisci experientia comprobat; tacemus causas non naturales multum conferentes.

Renum vitia senibus præ juvenibus familiariora existere Hippocr. non solum in citato aph. I. 3. sed etiam libr. vi Epidemicorum asserit & quidem in ultimo loco ait quod senes ad renalis, quum juvenes contra ad vesicalis calculi generationem sint proniores, contingit vero hoc multis ex caussis, quia senes abundant piritosis & glutinosis humoribus, quorum ortus debetur calori debili & infirmitati ventriculi, quos & errores in diæta commissi augent, ut & dispositio in actum ducatur.

Conjugitur cum calculo etiam, vel absque illo contingit stranguria, item incontinentia urinæ, ubi nunc sponte & citra voluntatem, tono vesicæ labefactato, vel calculo irritante & stimulante vesicam urina profluit, licet interdum parum vel nihil contineat, uti in stranguria talis excretio cum stillicidio contingit. Sunt & alia caussæ hos affectus producentes, sinempe vesica nunc phlegmone labore, vel calculus vel humores acres, falsi &c. adsint qui excretionem urinæ proritent, vel vitio ætatis excitatur tale incommodum, debilitate vel paralysi sphincteris vesicæ & accedentibus caussis plurimis externis.

Dysuria & ischuria vitio partium continentium & contentarum proveniunt, ubi nunc collum nunc reliqua partes vesicæ affectæ sunt, si senili ætati obtингunt graviores esse solent.

Mictus cruentus senibus scorbuticis, hypochondriacis, & hæmorrhoidariis a sero acri vascula sanguinis paulo copio-

copiosioris & stagnantis per adsueta loca exitum non inventis, corrodente viamque sibi parante, obtingit.

Excretio sanguinis per vasa hæmorrhoidalia quæ in virili ætate jam copta fuit continuatur in plethorics & huic fluxui jam adsuetis, in pueritia & juvenili ætate per alias vias evacuationem sanguinis jam passis & expertis. In aliis expeditior, in aliis tardior & cum variis incommodis procedit. Quando defectus hujus observatur omnes ferme arthritidis species, accedente in rebus non naturalibus abusu senile corpus invadunt, quod non solum veterum experientia, sed & multæ observationes hodie sedulo institutæ comprobant.

Arthriticis morbus articulorum est qui a variis recrētis tartareis intra tendines & articulos collectis & stagnantiibus ut plurimum originem suam habet. Contingit vero is dupliciti modo, alter per rheumatismum quando superfluitates serosæ acres ad articulos deponuntur, alter per refrigerationem quando collecta ibi inquinamenta intra articulos stagnant, tardiorē fluxum seu circuitum sanguinis efficiunt, si non sufflaminant, hinc laboriosior motus articulorum & dolor, nunc cum, nunc sine inflammatione accidit, & pro ratione locorum quæ occupat varia accipit nomina, ut nunc podagra, nunc chiragra &c. nuncupetur. Oriuntur hæc mala sæpiissime ex hæreditaria dispositione, cum hic affectus a parentibus ad liberos & sic porro propagetur; præsente igitur tali habitudine, abundantibus talibus excrementiis humoribus, & caloris nativi debilitate urgente non dissipantur nec expelluntur noxia. Frequentissimi omnium eveniunt hi dolores illis qui in juventute & virili quoque ætate diætæ regulæ transiliere, vino scil. nimio indulserunt, voluptatibus obsequiū præstiterunt, iræ & reliquorum animi affectuum impetu

non

non restiterunt, frigori corpus saepius exposuerunt, desidia & otio se totos dederunt.

Nec prætermittendum quod e decem hæmorrhoidariis, videlicet fluxu illarum non rite succedente, vix unus repe riatur qui calculosis pathematibus non obnoxius deprehendatur.

Tremor manuum & labefactatio genuum, tum in genere defectui virium vitalium in hac ætate, tum accidentalibus caussis adscribuntur; Ita qui arti palæstricæ in juventute nimiam operam dederunt, pariter fabri lignarii vel murarii, qui instrumentorum repercussione a fortí & continuo labore saepissime in senectute vel citius tale incommodum reportant.

Ex morbis externam superficiem corporis occupantibus maxime conspicua, ast infensa quoque senili ætati se sifit scabies & variis caussis tribuitur, communiter derivatur ab humorum excrementiorum & inquinamentorum in corpore humano copia, qua adjuvante natura & de industria quasi ad superficiem corporis seu cutem, & extremas partes pelli solet. Senectute igitur confecti ad scabiem vel alias cutis defædationes corpora apta & disposita possidere non solum ex ante dicta materiali caussa, sed etiam ab erroribus in diæta commissis suscitari & augeri manifestum est.

Canitem defectus succi proprii in capillis & curæ saepius producunt. Quando calvitium infertur capiti hoc, tum temperamento siccо in genere, tum in specie siccitatи partis, qua capillorum radices exeduntur quasi & hinc pori occalescantur.

CAP.

be etiam animo tristis, in ictu mortis nihil est p  
er diabolum, sed deus sicut in libris noster in

## CAP. III.

### *Diagnostica & prognostica signa affectuum memoratorum indicat.*

**T**radita hactenus ex proposito affectuum senilium pathologia, venimus jam ad eorum diagnostin & prognosin enunciandam. Ubi ante omnia & in genere senectutis signa memorare non inconveniens fuerit, sunt vero illa frigidum & siccum temperamentum annorum multitudinem subsequens, defectus energie motuum vitalium & animalium, rugositas cutis & exsiccatio totius corporis (maraasmus senilis dictus.)

Diagnosis morborum ut plurimum a causis dependet hinc & iis cognitis facilis negotio quid patiatur & quis sit morbus cum quo conflictetur æger & qualis eventus futurus sit, enunciandum est; quare etiam nos evolutionem caussarum præcipuarum tanquam fundamentum morborum præmissus, ut eo melius signa diagnostica & prognostica illorum elicere possumus.

Pergemus igitur eodem ordine & eadem brevitate in recensione signorum dictorum, ac usi fuerimus in historia & indagatione caussarum morborum senilium, quam partem medicinæ utilissimam & prætentissimam medici omnes contentur.

Non primi solum ventris sed & medi & infimi pathemata nunc visu, nunc tactu nunc ægrorum confessione cognoscuntur. Capitis inter morbos quibus senes frequentissime corripi & affligi solent primo loco ponenda apoplexia in

C

qua

qua' abolitio motus in toto corpore & una omnis sensus ad-  
vertitur, in viridi senectute & vivido colore adhuc gaudentibus  
magis sanguinea contingit, protuberant illis oculi, strident  
nonnunquam dentibus & convulsivis motibus caput & totum  
corpus concutitur, prorumpit interdum sanguis ex naribus,  
proiectis vero magis senectute phlegmatici habitus & sicciori-  
bus effuetisque serosa accidit cum pauca lenta saliva & spuma  
ante os, in utrisque respiratio suffiaminatur. Nonne statim  
apoplecticus visu cognoscitur & judicatur a prudenti medi-  
co, qui facile illam a soporosis affectibus distinguit, nonne  
sensuum ac motuum usus abolitus est?

Vertiginem adesse indicat oculorum obscuratio, ca-  
sus subitaneus, motus vertiginosus vel circumgyratio totius  
corporis antecedens ex patientis confessione manifesta reddi-  
citur, & ratione caussarum idiopathica ab sympathica faci-  
le sejungenda & dijudicanda.

Cum & melancholia senilis etiam supra memineri-  
mus methodi proposita ratio postulat & hujus diagnosin sub-  
jungendi, haec vero cognoscitur facile ex actionibus & vita ge-  
nere cui indulgent. Abiectione animi, taciturnitas cum tri-  
stitia & timiditate se exerit, solitudo quaesita & publici coetus  
fuga cum vultu demisso & anxia consideratione omnium re-  
rum se prodit.

Vigiliae quæ quidem propriæ morbus non sunt, sed  
potius symptoma inquietudinem comprehendit, omnibus  
adstantibus patent.

Oculorum & aurium vitia quæ uti innuimus senibus  
frequentissime oboriuntur, ab ipsis conquerentibus exploran-  
tur, vel exhibitione variorum objectorum nunc audibilium  
nunc visibilium manifestantur, & ipso sermone quem quis  
cum auditus vitius laborante instituit, cognoscuntur, nam  
talis

tales sapienter rogant alloquentes ut repetant prolatas, proprius admovent aures & obtentant manum auribus auditum juvaturi.

Dentium labes, vacillatio, lapsus obtutum oculorum non effugiunt, & odoratu etiam illam percipimus.

Rheumatisimi & defluxiones catarrhales, coryza, gravedo, &c. in sensus incurront, & his affecti propriis nominibus illa incommoda exprimunt. Catarrhus suffocativus senibus non raro eveniens judicatur e repentina summa respirandi non tam difficultate, quam impotentia. Tanta subito occurrit virium dejectio, ut vix halitum ducere valeant. Tussire & sonare antea valentes jam praefarctu humidatum ad pulmones labentium impotentes.

Inter morbos medii ventris qui senibus accidentunt & molestiam creare assolent, porro numeravimus dyspnoeam, seu difficilem respirationem cui sapissime asthma junctum est, communiter cum sonitu vel cum fremitu sese exserens.

Asthma igitur humidum ut plurimum annosioribus subjectis familiare, dignoscitur autem tale a mediocri, imo vero interdum maxima difficultate respirandi, cum ronchis & murmure in pectore.

Tussis signa adeo manifesta sunt ut quivis nisi auditu privatus de ea testari possit, respectu patientis adeat in bronchiis pulmonum a materia salsa acri stagnante vellicatio, qua interdum cum, vel sine excretione contingit, habitualis tussis exinde non raro oritur, atque proiectis imprimis frequens.

Ex insimi ventris vitiis, affectus ventriculi senibus familiares primo loco nominandi, cognoscuntur facile ex querimonia ægrorum, quando cibi vel potus plus justo vel insoliti assumperint, senes de ejus dolore, gravitate sibi molesta

querelam instituunt, hæc incommoda comitatur ardor stomachi, ructus nidorosi cum nausea & vomitu nonnunquam se prodentes. Taceo quod eorum constitutio ventriculi imbecillitatem ob caloris nativi remissionem vel imminutionem importet, hinc appetitus prostratio, chylificatio lœsa indivulsi ipsius comites. Diarrhoeæ & alvi dejectiones cum vel sine terminum sensu sese manifestantes non indigent peculiari bus signis, nam effectus sunt ipsa signa.

Renales affectiones se produnt doloribus in lumbis nunc gravioribus nunc remissioribus paululum, excretione sabulosæ vel minimum mucidæ, vel mucilaginosæ materiæ facile coagulationem subientis, retardatio profluvii urinæ vel incontinentia ejus calculi præsentiam, maxime si ex ægro cognovimus ipsius parentes quoque eo laborasse, diætam lautiorem, animi pathemata, luxuriam & ignaviam ægrum insuper foviisse, indicant.

Hæmorrhoidum vero placide & tranquille succedentium signa sunt, si stata excretionis tempora servant nunc æquinoctialia nunc menstrua. Impeditius vero succedentium sed eruptionem molientium signa sunt dolores tensivi, sensibilissimi per longitudinem ossis sacri & juxta ejus latera in coxis, quando demum instant pruriginosi in orificio intestini recti ardore sentiuntur.

Tremorem manuum & labefactionem genuum quis non in talibus affectis animadvertisit, qui ratione graduum differunt, minor est a crapula & animi affectibus, major a morbo vehementi prægresso.

Spastici dolorosi affectus quando ab uno ad alterum transeunt locum arthritidem vagam formant, quæ nunc exquisitum dolorem, nunc ardoris, nunc punctionis, vibrationis, morsicantis & pungentis sensum exprimit.

Si

Si in uno loco contumacius harent Chiragræ , Potagræ &c. nomina sortiuntur. Habent communiter his afflicti aliquid tumoris, inflationis , ruboris conjunctum, retinent perpetuo sensibilitatem licet requiescat dolor.

Quod reliquum externi affectus præcedentibus capitibus recensiti in sensus statim ubi sunt incurruunt. Scabiei diagnosis non est difficilis , quandoquidem signa habet evidenterissima pustulas hinc inde per ambitum corporis, maxime circa artus, & fere tanto magis quo magis aeri expositi , copiose coorientes & in corruptelam ulceroso scabiosam transeuntes.

Subnascuntur etiam in senibus ab humiditatibus superfluis inflatio & turgefactio corporis exterioris, hinc colores diversi, nunc faciei nunc totius depravatio, tumores aquosi cuius evidentissima species vulgo ita dictum cedema pedibus ac crucibus familiare sine dolore, sine aestu , imo sine præternaturali quodam sensu, nisi malum valde prævalet , tensio valde notabilis sentiatur. Est etiam hic tumor laxus atque mollis, ut digito pressus subsideat & in loco presso scrobiculum formet. Si ad summum pervenerit nitet pro nimio infarctu cutis.

Hactenus signa diagnostica affectuum senilium recensuimus, methodi propositæ ratio nunc poscit prognostica quoque ipsorum signa ut annexamus, ex quorum cognitione medicus si talium ærorum curam suscipere necesse habet, numerus salutarem affectum producere possit, nec ne, & qualis sperrandus sit in hoc vel illo morbo eventus, edicere & præfigire valet.

Apoplexia senilis vix curationem in integrum admittit , variat vero & hujus prognosis ratione graduum. Hipp. aph. 42. l. II. ait: Apoplexiæ fortèm discutere non potis es, debilem vero non facile. Acutissimus est affectus statim jugular & spiritus sufflaminat. Fortissima tollit cum interno

motu vitam; Levior vero si fuerit in paralysin degenerat. Si febris conjungitur & fortissima fuerit, solvitur, quia resolvit pituitosos humores, expellit hinc & ejicit, si debita medicamenta adhibeantur.

Vertigo recens & sympathica non ita periculosa est ut antiqua & idiopathica; juxta Hipp. coacas apoplexiæ & epilepsia prænuncia, periculosior est in senibus quam juvenibus.

Melancholia levis facile transit, gravis vero periculo non caret & saepe cum morte terminatur.

Qualem prognosin mereantur affectus aurium & oculorum jam edicemus. Glaucedo est incurabilis uti & alii affectus qui in senectute proveniunt & a nimia siccitate dependent. Perfecta illa & confirmata ob prohibitam penetrationem & irradiationem spirituum non curatur, quæ vero adhuc est in fieri remediis universalibus retardatur. Hebetudo visus vix curabilis ob spiritum animalium parciorem influxum, & animalis facultatis languorem emortua quasi apparere videndi facultas.

Idem pronuntiandum est de oculorum humiditatibus, cum continuo madore spiritus ob pituitæ affluentis abundantiam quasi suffocantur. Si in principio debitissimis remediis occurratur tolli vel corrigi possunt,

Levia dentium via externa patiuntur correctionem, exesi vero vel corrupti vel etiam decidui facti nunquam restituuntur nisi palliative.

Auditus laesiones quo graviores eo periculosiores esse solent. Misera sane est senum conditio qui gravi auditu laborant, ob sensus utilitatem & necessitatem, verendum enim ne gravitas auditus diutius perseverans degeneret in surditatem.

Gravedo, coryza, raucedo & catarrhi senibus sunt familia-

miliares & diutius durant, ratio quia senilis ætas ob caloris defectum & debilitatem inepta est ad humiditates concoquendas. Et Hippocr. aph. 39. & 40. l. ii. ait. Raucedinem & gravedinem in senectute esse ex numero morborum diutinorum adeoque comitari senes usque ad mortem.

Catarrhus suffocatus est malum brevis eventus, unde vel intra 24 horas patientem suffocat; vel in febriu-  
lam sed mali moris propter magnam debilitatem transit, quin ipsi patientes haud raro emoriuntur. Si servetur patiens magnam debilitatem post se relinquit, ut admodum vacillan-  
tem valetudinem experiat.

Affectus medii ventris in senibus itidem sat molesti sunt & præ gravitate vix curabiles. De Dyspnoea certum est illam gravissimum esse malum & in senibus difficulter curabilem juxta effatum Galeni quia a frigidis pulmonibus ortum trahit, & concoctionem in ea ætate respuit.

Asthma humidum & tussis humida aut utrumque con-  
functum quo pertinax malum eo curatu difficilius & sèpius  
commoritur.

Affectus ventriculi si a medicamentorum usu non miti-  
gantur aut sopiuntur periculum non leve inferunt, Diarrhoea si insensibilis uti frequenter est in senibus ob tonum in-  
testinorum dejectum & mortis prænuntia esse solet,  
Ratione excrementorum si eorum color a naturali mul-  
tum recedit, mala pronuntiatur. Lienteria diu durans viri-  
um destructionem, aliis morbis superveniens tabem & de-  
mum mortem inducere solet.

Renum & vesicæ affectuum prognosin quod attinet,  
sciendum, si calculus major & vires non sufficient ad expel-  
lendum illum, vel viarum nimia angustia adsit, mortem se-  
quuturam indicant, si in vesica hæreat & major fuerit, cum se-  
ctio

ctio in senibus non facile suadenda, admodum periculosus est affectus, hinc non sublata caussa non tollitur quoque effectus, exin retentio urinæ & alia gravia symptomata oriuntur.

Incontinentiam urinæ maxime in senibus Autores observationum incurabilem pronunciant.

Mictus cruentus pro ratione cauſarum diversam prognosin dicitat, si a corrosione renum stagnante ibi acuto calculo, maxime periculosus est affectus, si vero a hæmorrhoidibus suppressis & obstructis curationem admittit, illis ut plurimum validis referatis tollitur.

Hæmorrhoides si rite fluant in plethoricis & illis ad suetis tantum abest ut noxam sed insignem potius utilitatem afferant, & a multis santicis affectibus præservent, e contra ubi suppressæ fuerint. Hæmorrhoides valde dolentes facile inflammationem contrahunt & nisi dissipentur ad suppurationem veniunt & in fistulam interdum degenerant, stagnantes vero successive gonogram & podagram excitant.

Tremor manuum & pedum si ab aliis morbis & a durioribus manuum laboribus dependet, nihil adeo periculoso portendit. Si in senibus observatur præteraque hæreditarium malum, non curatur.

Arthritis & ejus species morbus quidem lethalis non est, ast quando repellitur ad interiora, si non mortem tamen gravia mala inferre solet, si mitior & recens, nec firmiter articulis inhæreat, solvitur facile. Nodosa autem & hæreditaria e contra. Nec reliqui spastici affectus nisi admodum acuti & convulsionum metum excitent, mali præsigii.

Scabies quæ senum corpora invadit & legitimo modo oppugnatur facile tollitur, nisi ferina & rebellis fuerit, hoc quoque notandum quod illa plus incommodi quam periculi secum ferat.

In-

Inflatio faciei & tumores oedematosi pedum ab infarctu humorum excrementiorum orti ad cachexiam & hydropem viam parant præcipue si invaluerint & ulteriores progressus ad crura & abdomen fecerint. Caeterum nec deturpationes cutis uti est rugositas cutis ac ariditas aliquid spondici indicant, quod & de canitie & calvitio senum pronunciamus, ast restitutio in pristinum statum fere nunquam speranda.

## CAP. IV.

### *Suppeditat curationem morborum senilium cum regimine.*

Cum igitur in precedentibus capitibus plerosque affectus & incommoda cum eorum causis & signis quæ senes frequenter subire necesse habeant, exposuerimus, ordinis ratio exigit remedia ipsiis ut opponamus; Nam omnis opera diætæ, Chirurgiæ & Pharmaciæ subsidio navanda ut hujus vitæ molestiæ æquo animo tolerari & perferri possint, quas si non prorsus tollere queamus adminimum eas mitigare & lenire annitamur. Traditurus igitur harum curationem generalem ordine reassumam in antecedentibus affectus recensitos.

Diximus supra senes apoplexia nunc sanguinea nunc serosa corripi, & ratione gradus nec non pro temperamenti & vitæ conditione in illis variare. Huic igitur malo quantocytus, ne vis morbi hominem perimat, obviam procedendum est, nec solum jam factam sed etiam quæ est in fieri & ex certis signis ab. Hippocr. & aliis autoribus enumeratis colligitur oppugnare & præoccupare debemus, ut morbi vis uti dicitur in herba suffocetur. Quando nunc apoplecticus offertur, eo connitendum ut naturæ vis suppressa excitetur quod variis modis fieri potest, nunc concussione, agitatione,

D

nun

nunc frictione, spiritus penetrantes admovendi uti est spiritus salis amoniaci vinosus, urinosus, apoplecticus &c. Advocanda in subsidium V. S. largior, scarificatio, adplicanda suppositoria, clysteres injiciendi, danda purgantia ut viæ obstructæ referentur, singula pro æ gri & morbi conditione & necessitate. Nec revellentia sunt omittenda ut sunt cucurbitulae, vesicatoria capiti & cervici imponenda, taceo sternutatoria quæ non carent suo usu in hoc affectu.

Vertigini diversi mode occurrentum prout vel idiopathica vel sympathica est, in hac ventriculus respiciendus & pro ejus gravitate, nunc cathartica, nunc aromatica, stomachica & roborantia propinanda, in illa vero spiritus animales & pro illorum habitudine cura instituenda, locumque habent quæ in variis capitibus affectibus usum præstant & proficua habentur.

In melancholia senili & hypochondriaca eadem remedia sunt ad hibenda, quæ alias in hoc affectu communiter commendantur, uti sunt aperientia, spiritus excitantia roborantia & antihypochondriaca. Abducendi sunt præterea hoc affectu correpti à solitudine, jucunda colloquia cum iis instituenda, & motus debiti non tam suadendi quam injungiendi.

Vigiliae nimis senum corrigenda sunt per blande somnum inducentia, & motum spirituum nimium refringentia, uti sunt humectantia & roborantia, externa sunt lotiones manuum & pedum, interna alimenta jusculis lacte alteratis, emulsiones ex seminibus frigidis concinnatae, vini veteri pannum. Vitanda vero narcotica utpote senibus valde suspecta.

Jam in ordine sequuntur affectus oculorum & aurium qui peculiarem expetunt medelam. Quando igitur hi morbi ab abundantia humiditatum excrementiarum ortam du-

cunt,

cunt, laxantia in usum sunt vocanda, qualia sunt, fol. senae, rhabarbarina, tartareo-vitriolica, electuaria leniora; magis respiciunt hos affectus qua tonum partium fibrosarum & nervarum restitunt, uti sunt cephalica, nervina & roborantia medicamenta in specie cinnabar. corallia, martialia, aromatic. herb. & rad. cephal. & varia composita ex liquidis & solidis. Ex fonte chirurgico scarificationes, fonticuli, cucurbitulae, vesicatoria, setacea pro indicationum ratione adplicanda, & pro renata acu depressio facienda, nec externa remedia dissipandi & confortandi fine sunt negligenda, ut sunt suffitius, cucuphae, & ex oleis & unguentis confecta varia.

Gravedo, coryza, catarrhi simplices, & suffocativi, requirunt medicamenta attenuantia, resolventia, diaphoretica, expectorantia, roborantia & ex siccantia, ex quibus ultimi promptam expetunt opem.

Tussi & asthamati humido medentur incidentia, resolventia & expectorantia &c. ut spiritus salis ammoniaci anis. lig. C. C. succ. &c. additis paucis guttis ess. anody. Pilul. de storac extra feb. sperm. ceteri, item aquæ pectorales, rad. ari, pimpinell. umbellif. herb. antiscorbutica & illarum infusa, decocta ex herb. pector.

Quod dentium affectiones & casus attinet ita sunt comparati ut vix nisi palliativam curam admittant. Vitentur itaque ea omnia quæ dentibus nocent uti sunt nimis frigida & calida, item dulcia. Curative confort collutio frequens oris cum decocto vini vel aquæ simplicis tepido vel per se, vel cum additis nonnullis herbis, radicibus & gummatibus, ut rad. bistorti, quinque fol. herb. salvia fl. ros. sicc. myrra, mastiche ad firmando dentes & roborandas gingivas facit.

Dyspnoea utplurimum symptomatica quæ nunc catarrhis, asthamati, & tussi humidae conjuncta deprehenditur, ubi convenienter ea quæ in illis affectibus prorsus tam alimenta quam medicamenta, ut sublata causa hinc & collatur effectus.

In affectibus ventriculi conducunt sape evacuantia pro re-  
tatum & virium ratione, hoc sine sal vitrioli Langius in Miscellaneis magnis laudibus effert; prosumit porro aromatica, confortantia & roborantia tam medicamenta quam alimenta, imprimis insigniter juvat concoctionem laetam vinum bona notæ, quod ideo lac fenum appellatur. Pathematibus ventriculi accensentur etiam diarrhoea & licteria, si ultra euphoriam durant, debitissimis oppugnandæ, quæ vero hic proficia censentur requisiitus medicus pro circumstantiarum ratione invenire & suppeditare ex amplio suo penu faciliti negotio novit.

Nephritis incommoda sensibus frequenter duplice modo tollenda, uno modo contraitur illis præservando, quando gliscientia talia mala variis medicamentis lenientibus, diureticis præoccupantur; altero vero curandi scopo iis obviam proceditur clysteribus, balneis emollientibus, quibus lubricæ reddantur viæ. Maxime vero cavidum ne quiescentem calculum moveamus vel protrudamus, quippe observationum scriptores memiserint, quod per aliquor annos absque vita periculo in cavitatibus renum substiterit, modo obstrutio non perfecta adsit, & alteruter renum tantura liber maneat ad libere peræandam urinam. Ideo cura fuscipenda est a lenientibus & paregoricis & angupejus fugienda pellentia, dein ad juventia interna & externa procedendum uti jam innuimus ut resolvatur calculus & ad exclusionem demum disponatur, si possibile.

Stranguria senum quando mederi volumus antè omnia videndum cum malum ab affecta vesica, an vero ab affluxu materie acris pendeat, tunc ea remedia quærenda quæ hujusmodi vitia corrigeret, eorumque caussas removere possunt. Debilitati hujus visceris toborantibus occurrentum, calida & in hoc affectu ex effatu Hippocr. aph. 22. l. 11. ultimis verbis, natura amica sunt.

Incontinentiam urinæ, si malum non diu duraverit, nec paralysis sphincteris adsit, adstringentia & nervina anodynæ mixta, quibus fibrae roborantur & ipsorum tonus restituitur, levant & tollunt, alias vero immedicable fere. Inunctiones ex oleis nervinis &c. debent principio nervorum in lumbis & ossi sacro applicari. Micti eruento pro caussarum varietate varia adhibenda remedia, si ab hemorrhoidum obstructione & illæ referenda vel simplici apertione illarum, vel ventilatio sanguinis artificiali. Si a calculorum proventu, vel vesicæ vulneratione, traumatica & anodynæ roborantibus mixta propinanda, acrimonia temperanda, retundens impetus & ebullitio infringenda.

Hæmorrhoides rite fluentes & stata tempora servantes, nullo modo perturbandæ, & omnia illa vitanda, quæ illarum fluxum impedit & fistulae valentes. Subsistentes vero quovis modo in ordinem ducendæ ubi V. S. egregium remedium, nec omittenda quæ fluxilitatem sanguini restituunt, uti sunt lentier evacuatio, diaphoretica & conveniens motus. Tumentes hæmorrhoides discutiendæ & demulcenda paregoricis & appropriatis.

In tremore manuum & pedum calefacientia & roborantia tam interne quam externe conducunt, ubi usus thermarum & balneariorum, nec non decoctum salvia cum aqua & vino laudatur. Si vitio ætatis contingit & superfluitates excrementiæ ad extrema alegantur, & ob defectum caloris non dissipari possunt, labiosum motum hic excitant. Si a crapula & animi affectibus sponte cessat.

Arthritidi ejusque speciebus podagræ, chiragræ nec non malo ischiatico quæ affectus ex congestione & stagnatione sanguinis circa haec loca obtingunt, variis modis occurri potest, si viridi senectuti accidit ventilationes sanguinis artificiales, vel naturalis per hæmorrhoides in adsuetis magnum levamen adferunt & fundamentali totius curationis sunt, imprimitis si justo tempore & loco instituantur. Hirudines ad manus & ægrinos aversentur adpliantur vasis sedalibus, dein lenia purgantia, diur-

diuretica &c præservandi sed curandi scopo convenient, nonnunquam & illæ sola omnibus reliquis iuris & frustaneis in usum vocatis, profuisse visa sunt.

Post haec universalia & heroica, & topica in affectis partibus adhibenda sunt, interdum in principio antequam malum vires sumpserit & radices egerit revel lendi sine non in utila deprehensa fuere, ast magna cum prudentia sunt adhibenda. Nec natura solum negotium curationis relinquendum & stoica patientia ægris im peranda, quanvis & hæc in rebelli & diu insidente malo maxime necessaria foret. Et reliqui spastici affectus qui metum convulsionum excitare solent, oppugnandi sunt, cum universalibus, cum nervinis & pægoricis internis & externis.

Nec tumores oedematosi & iofatrici turgescenția in capite & reliquis corporis partibus cum gravia mala, ut supra jam innuimus minitari solent, parvi habenda, sed tum evacuatoriis pro virium & artis indigentia, tum stomachicis, roboranibus, & appropriatis remedii quæ primum contraire oportet.

Cum & Scabiei frequenter in senibus coortientis mentionem fecimus, Hippocrates meminit stimulantium prurituum totius corporis sub quibus absque dubio huncce affectum quoque comprehendit, & huic alias consuetis medicamentis purgantibus, sanguinem & serum impurum corrigentibus & renovantibus satis notis internis & externis obviam procedendum est, ut hic specialius quid annotare non occurrat.

Cum inscriptio hujus capitii & diætam senum promittat, paucis itaque vel tribus tantum verbis eam addere non supercedebimus, quandoquidem & non naturalium rerum regimen servandum & administrandum quippe ad sanitatem cotiser vandam insigniter conducat.

Aeris usum maximum esse in procuranda fluxilitate sanguinis, in promovenda transpiratione insensibili & Spirituum vigore conservando ob ipsius salis nitrosi abundantiam constat. Quod aer calidus & temperatus ad sanitatem conferat notum est, si vero nimis calidus vel frigidus fuerit, quomodo non solum corpus sanum afficere & varie alterare & ægrum reddere soleat, & jam ægro plus damni afferre possit, ut hinc unusquisque hujus rationem habere debeat, observationes quotidiana loquuntur.

Inter res non naturales non ultimum locum habent alimenta quorum ægri & que ac vegetrationem habere necesse habent, nisi varia mala sibi excitare, sed evitare velint, scire enim debent ipsorum constitutionem & quæ ventriculus ferre & digerere possit, ( & quid circa quantitatem & modum assumenti observandum) quamvis consuetudo interdum contraria permittat ut Hippoc. aph. 38. l. 11. inquit, dicens: Cibus & potus paulo deterior suavior tamen, melioribus quidem sed insuavioribus est anteponendus. Commendandum igitur moderamen in cibo & posatu, & a deteriori cibo modo illi adsueta fuerint, & non adeo evidens damnum inde percepere, non adeo sunt prohibendi.

Absolum cuidam videbatur senibus ætate & laboribus confectis motum & non potius quietem commendare yelle; sed existimamus maximopere illis & ipsorum ætati convenientem & adsuatum motum non modo suadendum sed imperante

dum

dum esse, quippe illo circuitu humorum melius promovetur & ad fluxibilitatem aptantur, sed & ad secretiones & excretiones prastandas necessarius est, ideo quies, desidia & abstinentia a motu & laboribus proflus ipsius disuadenda. Corroborat nostra thesin. Hippocr. aph. 49. l. n. dicendo: Qui adsuetis indulgent laboribus, quamvis infirmi fuerint aut senes, tamen adsuetis validis atque juvenibus, facilis ferunt.

Quas turbas passiones animi in corpore sano & ægro excitent, quotidiana docet experientia, ut illas quovis modo senes vitare debeant, nam rarissime boni quid inde sperandum.

Quod somnum & vigilias concernit, si à naturali ordine recedant, noxam insignem ætati senili adportant, nam secundum illud tritum: quod caret altera re quie durabile non est. De somno monent autores quod senibus meridianus, cum noctu parum dormiant, conducat, & si ille fiat sedendo, non jacendo, nam illo modo digestio & concoctio melius fieri posse autumant.

Quæ circa excernenda & retinenda observanda non minoris sunt momentia. O. igitur cura eo dirigenda ut justus & legitimus successus secretionum & excretionum conseruerur, si in omni ætate ille necessarius, maxime in senili requiritur, quum in ea alacritas & vigor decrescet & natura non tam prompte, & sponte sed tardius hos motus suscipit & exequitur, ideo adjucanda in opere quovis modo. Quid inconveniens non affert. insensibilis transpiratio impedita vel suppressa? cum contra si bono successu gaudeat ad sanitatis conservationem plurimum faciat. Exonerationes alvinæ ob eandam rationem si legitimo modo procedant ad praevenda multa mala, quæ easdem suppressas sequi solent, utiles, si v. justo frequenter naturæ vires destruant, ideo in ordinem reducentur.

Evacuationes artificiales sanguinis in subjectis plethoriciis, iisdemque adsuetis nullo modo omittendæ, cum & his in spontaneis hujusmodi excretionibus pauculum expeditius procedenteibus sublevantur & adjuvantur. dein medicamenta talibus temperamentis adipicata meliorem successum & effectum nanciscuntur. Ex adverso ubi tales ventilationes artificiales contemptum habentur vel ut inutiles rejiciuntur, & subordinatio optimorum medicamentorum sape frustranea observatur.

Nec excretio urinæ & per hanc viam spontanea exoneratio serofarum partium insuper habenda sed idoneis medicamentis & consiliis convenientibus promovenda.

Hæc sunt quæ circa res non naturales senes scire debent, quod vero regimen in singulis morbis tenere & observare opus habeant, vel ipsis sana ratio, vel experientia & consilium prudentis medici suppeditabunt, plura quæ ad diætam serum spectant habet Benedictus Bacquere in tractatu, Serum Medicus inscripto, qui videri potest. Et hæc circa rerum non naturalium usum & abusum in genere dicta pro nostro scopo sufficiant, quibus & nostro labore felicem imponimus

F I N E M.










01 A 6605




V3 17  
KD. 18





Farbkarte #13



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

Q. Dr. P. V.

DISSERTATIO MEDICA

EXHIBENS

# VALETUDINA RIVM SENVM

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO AHOI

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, JVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET RELIQLA,Illustris ac gratiosæ Facultatis  
Medicæ consensu

IN CELEBERRIMA SALANA

P R A E S E S

CHRISTIAN. FRIDER. Schelhæß,

MEDICINÆ DOCTOR ET PRACTICVS IENENSIS

RESPONDENTE

IOANNE ANDREA SCHMIDIO,

HELMSTADIENSE.

Publicæ Philiatrorum disquisitioni subiecit;

Ad Diem V. Mart. MDCCXVIII.

IN AUDITORIO MEDICO Horis consuetis.

J E N A E, TYPIS MULLERIANIS.